fugit. sed vae illis quorum lapidei sunt cordibus deus fugit.

EXPLICIT XL. INCIPIT XLI

AB EO QUOD SCRIPTUM EST. ET PRAETERIENS VIDIT HOMINEM CAECUM A NATIVITATE, usque ad id quod scriptum est. Nunc vero dicitis quia videmus, peccatum vestrum manet.

DE HOMINE QUEM DOMINUS IHESUS INLUMINAVIT QUI CAECUS natus fuit. prolixa lectio recitata est, quam si universam pertractare conemur, pro sui dignitate sicut valemus, singula considerantes, non sufficit dies; proinde peto et ammoneo caritatem vestram, ut in his quae expositum fuit sermone nimium non requiratur, nam nimis longum est in singulis immorari; Breviter ergo caeci huius inluminati commendo misterium, ea quippe quae fecit dominus noster Ihesus Christus stupenda atque miranda et opera et verba sunt; opera quia facta sunt, verba quia signa sunt, si ergo quid significet hoc quod factum est cogitemus, genus humanum est iste caecus, haec enim caecitas contigit in primo homine per peccatum de quo omnes originem duximus non solum mortis sed etiam iniquitatis, si enim caecitas est infidelitas et inluminatio fides, quem fidelem quando Christus venit invenit. quando quidem apostolus natus in gente prophetarum dicit. Fuimus enim et nos aliquando natura filii irae sicut et ceteri. si filii irae, filii vindictae, filii poenae, filii gehennae, quomodo natura, nisi quia peccante primo homine vitium pro natura inolevit, si vitium pro natura inolevit, secundum mentem omnis homo caecus natus est, si enim videt, non opus habet ductore, si opus habet ductore et inluminatore, caecus est ergo a nativitate, venit dominus quid fecit magnum misterium

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0159